

cense valde sit incertum, imo in multis iniquum et durum, praeferri volunt Saxonica edicta, idque eo magis, quod in re dubia benignior sententia et recentior lex palam ferre debeat. Neque nihil habere ponderis, ita enim pergunt iuris Saxonici defensores, quod Princeps Elector, exordio edicti novissimi rem docente, ad novam legem ferendam accesserit eo consilio, ut salus reipublicae, quae, bona privatorum perdi, aut litium sumtibus absunni rerumque dominia diu incerta manere, non patitur, fulciantur. Claris, certis, et aequis esse opus legibus. Rescriptum MATTHIAE nec clarum, nec certum, nec aequum esse: quod, bonorum possessione ex constitutione huius Principis data, rerum dominia incerta sint, dominii libertas male constringatur, et absens incuriae et culpae latissimae poenas non det. Accedere, quod ratio legis *Matthianae*, novissimorum edictorum ratione, prorsus sit expugnata, ut ^{ea} cum, salva sententia l. 26. et 28. D. *de legibus*, prior lex, quantumvis specialis, consistere nequeat. Quibus argumentis, multum abest, ut secta patrii iuris patronorum cedat. Dicunt enim: legem Saxoniam esse iuris incerti tollendi causa scriptam. Gorlicii vero, cum, MATTHIAE, legislatoris, beneficio, omnia in hoc genere certa fuerint,